



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

Karissimo Svo A. M. Salvtem In Christo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

INCIPIT EPISTOLA ET PRO-
LOGVS, MEGINFREDI PARTHENOPO-
LITANI MAGISTRI ET PRÆPOSITI AD AR-
nolfum S. Emmerammi Monachum eundem
& Præpositum atque Ma-
gistrum.

*RARISSIMO SVO * A. M. SALVTEM*
IN CHRISTO.

* Arnolfo Ma-
gistro

SANCTORVM dicta, quæ videntur simplicia,
viuifico fecunda spiritu, pondere veritatis reli-
giosa, non illice compositionis sunt astu pompo-
sa. Quæ quando incommutabilium sunt signa virtutum,
neq; fauor eis nutrit meritum, neq; indignatio detrimen-
tum; quibus velut ex sanctitate fluxit dignitas, ita ex re-
rum existencia venit integritas: quorum sicut compositio
spiritualis, sic potentia mirabilis, dum per eadem locu-
tionis membra & ad genituram imaginis DEI gremiũ fidei
maritat, & per fidei sinum indurat. Vnde conicere pos-
sum frater, quàm vera debeat sanctitati religio, quàm
sancta veritati confessio; ne videat vel in spiritum esse præ-
sumptor, vel in simplicitatem impostor. Sed quia mihi
dilectio tua pondus imposuit, quod beati Martyris & Pon-
tificis Emmerammi desiderio libenter subiui, & ab ipsius
sanctitate & sanctitatis eius scriptore veniam quæro; qua-
tenus illius me reuerentia cultorem, istius sapientia di-
gnetur imitorem. Equidem si sanctorum gesta non pos-
sumus imitari, licebit saltem meditari, licebit mirari,
quod volumus, vt quandoq; liceat velle, quod miramur.
Non enim est circumscripta diuina misericordia, quæ
iuuat etiam vbi nulla sunt merita. Proinde flagito quate-
nus

B 2 nus

nus orationi meæ succurras, ne vel professio mea debilitata succumbat, & per occasionem imperitiæ, pia voluntas inuidiæ dentes imbuat, vnde & tecum latere desiderat, ne in publico erubescat. EXPLICIT EPISTOLA.

INCIPIT PROLOGVS.

MILITIAM Christi licet varius pugnandi modus exerceat, diuersa triumphandi gloria coronet, par est tamen disciplina, similis affectus, eadem forma; quomodo sui Regis impressi patientiæ sigillo, ad ipsum inrequietis anhelantes animis similitudinē suam, ad vnam faciem primæ pietatis instaurant. Vnde Patriarchæ & Prophetæ latores legum, victores Regum, Ecclesiam noui Testamenti per mediatorem Iesum Christum, in vnum corpus aduniendam benedicendo, piæ proles successionem sancti Spiritus oraculo & veræ professionis organo de longe salutant, vt varijs aut verborum, aut rerum ostentis exprimant, quos sibi videlicet moribus concordēs futuros esse præuiderant. Inter quos & sanctos Martyres per exemplum præteritorū, aliqui ita describunt, vt sole luceat splendidus, quod in omnibus vnus fuerit spiritus. Hi ergo per contemptum cognati doloris & amaræ necis, ad thronum æternæ charitatis familiarius aspirant. nam inter cruciatus libera spei contemplatio, pro difficili conditione processit ad altitudinem gloriæ. Quare si ab illis tantum venerationis habuerunt, cum adhuc non essent; quid à nobis habituri sunt, qui doctrinis eorum & exemplis instituti cotidie patrocinij fouemur. Ex quibus beatus Pontifex Emmeramus, auream in seculo famam dereliquit, qui pro fratre suo pretiosum sanguinē fudit. Et vt duplex pietatis foret auctoritas, crimen alienum innocentia suæ imposuit, quatenus eum liberaret à morte corporis, quem antea sustulerat